de fine s(ae)c(u)li terribil…

30

ritate deceptor fur a uobis ita ab apostolis con pre
hend& aduentu. Quem beatus quoque petrus
discribens ait. Adueni& autem dies domini ut fur.
In qua caeli magno impetu transibunt. elementa
uero a calore soluentur. Cum omnia haec
dissoluenda sint quales oportet uos esse in sanctis
conuersationibus & pietatibus. expectantes &
properantes in aduentum diei domini. Die in qua caeli
ardentes soluentur & elementa ignis calore tabes
cent. Recens factum est & quod ipsa audisti.
Cum ad stridorem bucinae sonumque gothorum quae
clamore lugubri oppressa metu domina urbs
roma contremuit. Ubi tunc nobilitatis ordo.
ubi certi & distincti illius dignitatis gradus.
Permixta omnia & timore confusa. Omnis domus
planctus & aequalis fuit per cunctos pauor.
Unus erat seruus & nobilis. eadem omnibus ima
go mortis. nisi quia magis eam timebant illi
quibus fuerat uita iucundior. Si ita mortales
metuimus hostes & humana arma manu. quid fa
ciemus cum clangore terribili tuba intonare de
caelo inceperit & ad illam archangeli uocem
omni bucina clariorem totus simul remugit
mundus. Cum uiderimus non humanis facta super
nos arma esse cuncta. sed caelorum uirtutes commo
ueri sic propheta dicit. Cum uenerit dominus po
nere orbem terrae desertum & peccatores
perdere ex eo. Quis tunc nobis pauor. quae ca
ligo. quae tenebrae. Cum nos tot uenerit ad
monitos & tam inparatos dies ille repperit.
Tunc inquit plangent super se omnes tribus terrae
& uidebunt filium hominis uenientem in nu
bibus caeli cum uirtute multa & maiestate.
Tunc dicent montibus: cadite super nos & collibus:

operite nos & petris aperte nobis.
Uerum haec eorum sint qui uariis mundi
huius detenti curis de mundi sui cogitant fine.
Tu uero cui aduentus Christi dierum nouissimorum quae me
ditatio est. cui per conscientiae puritatem domini
est optanda praesentia quae consummatio
nem saeculi quasi certum praemium tempus ex
pectas exultationem de illo capies firmio
rem. Tunc enim tu sanctorum mixta choris
& sanctis comitata uirginibus in sponsi obui
am subuolabis & dices. Inueni quem quaesiui
animam meam. Nec ullius iam temporis
separationem timebis. quae semel inmor
talitatis gloria & incorruptionis splen
dore donanda es. Cum Christo semper futura
es apostolo dicente. Quoniam ipse dominus in ius
su & in uoce archangeli & in tuba dei des
cendit de caelo & mortui qui in Christo sunt
resurgent primi. Deinde nos qui uiuimus
qui relinquimur. simul rapiemur cum illis
in nubibus obuiam domino in aera & ita semper
cum domino erimus. Haec sit igitur tua
cura semper hoc studium. Haec igitur uir
ginis corde uoluantur. In his totius diei
uersetur labor. In his noctis somnus re
ponatur. In haec anima rursus euigil&.
Nullus labor durus. Nullum tempus
longum uideri deb& quo gloria aeter
nitatis adquiritur. Expl.

## ITEM HIERONIMI
## AD DEMETRIADEM

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BLB Badische Landes-Bibliothek
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Badische Landesbibliothek
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/blb_augperg105/0061